

propria bonitate. Sicut si actus indifferens secundum speciem in ratione boni et mali, quando postea in individuo fit bonus, totam bonitatem habet ex fine, et ad illam nihil confert, nisi materialiter, species indifferens quam ex se habet. Et tandem possumus a contrario argumentari, quia si actui morali relato ad finem supernaturalem responderet aliquid meriti, ratione suæ bonitatis, et aliquid adderetur ex illa relatione, sequeretur quod sine ista relatione aliquid meriti in se retineret, et ita posset esse meritorius sine ullo modo supernaturali, quod est contra dicta, quia, sive sit magnum, sive parvum meritum, sine illo fieri non potest sine quo nihil fieri potest, ut argumentatur Augustinus.

21. *Pars tamen affirmans suadetur.* — In contrarium vero est, quia sequitur actus internos virtutum moralium acquirarum non esse magis meritorios quam sint actus externi, scilicet, per denominationem extrinsecam a superiori actu imperante; consequens non videtur admittendum; ergo. Probatur sequela, quia actus acquisitus non constituitur in accidentaria specie supernaturali, nisi per denominationem moralem extrinsecam ab alio actu supernaturali a quo imperatur, vel ordinatur in finem supernaturalem; eodem autem modo denominatur actus externus; ergo æquiparantur, sive denominatio sit æque immediata, sive ad actum externum perveniat, mediante interno; hoc enim ad præsens nihil refert, sed satis est quod denominatio meriti sit extrinseca, nam hoc est quod videtur inconveniens, ut in minori dicitur. Quæ probatur primo, quia alias non magis auget meritum bonitas interioris actus virtutis quam exterioris, ac proinde non esset majus meritum in voluntate dandi majorem eleemosynam quam minorem, si relatio supernaturalis, quæcumque illa sit, sit æque bona, et sic de cæteris actibus virtutum acquirarum. Imo etiam sequitur non esse magis meritorium actum virtutis acquirarum, factum ob aliquem finem supernaturalem, quam actum de se indifferentem, et æque utilem, et æque ordinatum ad eundem finem, quæ omnia videntur absurda. Ac tandem videtur hoc modo coincidi in opinionem negantem, hos actus morales acquirarum esse meritorios, quia revera illis, ut tales sunt, nullum præmium respondet, sed solis actibus supernaturalibus, a quibus informantur.

22. *Quæ et eligitur et declaratur, ut expe-*

diantur paulo ante objecta in num. 20. — In hoc puncto dicendum mihi videtur bonitatem moralem hujusmodi actuum aliquid conferre ad meritum de condigno. Quamvis enim res hæc minus sit certa quam quæ hæcenus diximus, possitque non improbabilius sustineri illam bonitatem non augere meritum essentialis beatitudinis, sed ad summum propter illam tribui aliquid præmium accidentale, nihilominus quod diximus videtur probabilius, propter ea quæ supra adduximus, c. 10, ad probandum hæc opera moralia esse meritoria vitæ æternæ, quod meritum in voluntate talium operum principaliter constituitur; ergo absolute tota voluntas interior, quæ ad similia opera externa concurrat cum propria libertate et bonitate, confert etiam ad meritum illius præmii, quod in Scriptura dicitur tribui propter talia opera; hoc autem est essentialis beatitudo, ut ostendimus. Declaratur præterea ex differentia inter actum internum virtutis acquirarum et mere externum, nam in actu externo non est formaliter propria bonitas moralis, sed tantum objectiva, quæ per se et intrinsece non constituit meritum, sed specificat bonitatem actus meritorii; in actu vero interiori inest formaliter propria bonitas moralis, quæ imputatur homini libere operanti, et placet Deo. Et quamvis nude sumpta non placeat Deo in ordine ad finem supernaturalem, nihilominus aptitudinem habet quasi obedientialem, ut conjuncta moraliter relationi supernaturali, componat unum actum moralem consentaneum fini supernaturali; ergo hoc modo bonitas ejus confert ad meritum illius finis non tantum per modum objecti, sed etiam per modum actus constituentis aliqua ex parte illud meritum. Et hoc confirmant argumenta posteriori loco posita, et non obstant priora, quia, licet bonitas illa per se sola non sufficiat ad meritum, nihilominus potest esse apta ut, elevata ad superiorem finem, possit concurrere ad componendum tale meritum, aliquid ex parte sua ad illud conferendo.

CAPUT XII.

UTRUM INTENTIO OBTINENDI PRÆMIUM SIT SUFFICIENS VEL NECESSARIA AD MERITUM DE CONDIGNO, VEL POTIUS ILLI REPUGNET?

1. *Questionis utilitas.*—Quamvis dictum sit quæcumque intentionem supernaturalem ad meritum sufficere, et intentio præmii sub illo

ordine contineatur, nihilominus propter hæreticos hujus temporis, et propter specialem difficultatem quam habet, aliquid de illa dicere necesse est. In titulo autem proposito tria continentur: primum, an hæc intentio repugnet merito; secundum, an sit necessaria ad illud; tertium, an sufficiat?

2. *Primum punctum: an intuitus mercedis obstet merito, cui hæretici affirmative respondent.*—*Forum fundamentum.*—Circa primum hæretici hujus temporis talem intentionem reprobant, dicuntque indignum esse mercede apud Deum, qui intuitu illius Deo servit, aut bene operatur. Ita refert ex Calvino et aliis Bellarminus, l. 5 de Justif., c. 8. Fundamentum solum esse potuit, quia operari intuitu mercedis, servile est, et ex amore mercenario procedens. Mercenarius autem amor excludit amorem charitatis, sine quo non est meritum; ergo hæc intentio lucri et mercedis excludit verum meritum apud Deum. Minor habetur imprimis apud D. Thomam 2. 2, quæst. 19, art. 4, ad 3, ubi dicit amorem mercenarium secundum se charitati esse contrarium; et Bernardus, lib. de Diligendo Deo dixit, *charitatem non esse mercenariam.* Et ratione probatur, quia charitas diligit Deum propter se, et omnia opera bona dirigit in ipsum propter gloriam ejus; amor autem mercenarius, et intentio proprii commodi, quæ ex illo nascitur, omnia trahit ad ipsum operantem, et in eo sistit; ergo talis intentio excludit amorem charitatis, saltem ab operibus sic factis; ergo consequenter ab illis meritum excludit. Imo videtur etiam ab ipsa persona excludere charitatem, quia per talem intentionem videtur homo Deum ad se referre, et in se tanquam in ultimo fine sistere, quod est peccatum mortale.

3. *Pars negativa est de fide.*—*Probatur ex Script. et ex Tridentino.*—Sed nihilominus dicendum est hanc intentionem non repugnare merito de condigno apud Deum, imo esse posse valde utilem ad excitandum hominem ad bene operandum, ac propterea consulendam, saltem imperfectis et incipientibus. Assertio est de fide certa. Primo, quia in Scriptura expresse habetur, nam imprimis Deus sæpe excitat homines ad virtutem promissione præmii, ut Ecclesiast. 18: *Ne recararis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum;* et Christus, Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et Luc. 16: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant*

vos in æterna tabernacula. Et similia habentur Matth. 3, 4, 5, 6 et 10. Deinde in eadem Scriptura habemus exempla Sanctorum, nam de se dicit David, Psal. 118: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem;* et de Moyse dicit Paulus ad Heb. 11, fide elegisse affligi cum populo Dei, *quia aspicebat in remunerationem,* et de Abraham et aliis Patribus ait: *Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Et de se ait idem Apostolus: *Ad destinatum persequor ad brævium supernæ vocationis.* Unde ad Galat. 6, ad omnes dicit: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus;* et 2 ad Corinth. 9: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Ex quibus et infinitis aliis, quæ passim occurrunt, manifeste constat, Scripturam verbo et exemplis hanc intentionem approbare, quæ non induceret omnes ad bene operandum proposito præmio, si illius intentio meritum impediret. Et alia ad hoc confirmandum attigimus supra lib. 2, c. 13, in ultima probatione nostræ sententiæ. Ex Patribus etiam aliqua recitat Bellarminus, essetque facile plura congerere; sed illa omitto, quia res est clara et definita in Concilio Tridentino, sess. 6, c. 11, ubi docet eos adversari orthodoxæ fidei, qui dicunt justos in omnibus operibus peccare, si in illis, suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam. Et in can. 31 brevius definit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

4. *Ratione stabilitur.*—Ex quibus potest etiam ratio formari. Nam hæc intentio operandi propter supernaturalem mercedem in se non est mala, imo est ex objecto bona; ergo per se non excludit charitatem; ergo non est cur merito repugnet, aut illud impediatur. Hæc secunda consequentia manifesta est, quia meritum fundatur in bonitate actus; ergo nulla bonitas actus potest per se excludere meritum, aut repugnare illi, sive ad illud sufficiat, sive non. Probatur ergo primum antecedens, quia beatitudo supernaturalis est verum et magnum bonum, et maxime consentaneum naturæ intellectuali, ac subinde est honestissimum objectum, ut amari et desiderari possit propter bonitatem quam in se habet; sed intentio consequendi illam beatitudinem fundatur in hoc amore, et in vera existimatione, qua creditur per viam meritorum pervenien-

dum esse ad illum terminum; ergo talis intentio etiam est ex objecto honesta, et electio talis mediæ est prudens et honesta, etiam ex parte mediæ; ergo nihil malitiæ in tali actu invenitur per se loquendo. Et hinc evidens etiam est prima illatio, nam charitati non repugnat, nisi peccatum; sed in hoc modo operandi nullum est peccatum; ergo non repugnat charitati. Item bonum non est bono contrarium; sed hæc intentio est bona; ergo non est contraria charitati, quæ etiam bona est. Item operari propter salutem vel sustentationem corporis non repugnat charitati, multoque minus illi repugnat orare Deum propter aliquod bonum spirituale per orationem consequendum, vel recipere Sacramentum propter animæ sanitatem; ergo multo minus repugnare potest charitati operari propter vitam æternam, quæ est maximus fructus et salus animarum nostrarum.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Dicit aliquis his argumentis recte probari hunc modum operandi non excludere habitualement charitatem, nihilominus tamen excludere propriam relationem charitatis tam actualem quam virtutalem, et hoc satis esse ut merito repugnet, et illud a tali opere excludat. Sed hoc attingit tertium punctum tractandum, scilicet, an hæc intentio sufficiat ad meritum, quod paulo post videbimus. Et ideo breviter respondeamus, aliud esse opus sic factum præscindere ab actu charitatis, tam præsentem quam præterito, id est, sine illo esse posse; aliud vero est hunc operandi modum excludere actum charitatis, id est, cum illo esse non posse. Primum est verum, quia potest homo, priusquam actu diligat Deum, actu diligere seipsum, et potest prius diligere Deum sibi quam Deum propter se, in quo ordine nullum peccatum intervenit, quia de ordine temporis inter hos actus non est datum speciale præceptum, nec præceptum dilectionis Dei obligat pro semper, vel pro primo tempore, imo hæc præcepta obligant modo accommodato homini, cui connaturale est ab imperfecto ad perfectum procedere. Ex hoc autem non sequitur talem operandi modum excludere meritum, ut in tertio puncto declarabimus. In secundo autem sensu falsum est hunc modum operandi excludere actum charitatis, sive concomitantem, sive imperantem; nam potest homo Deum simul diligere, et propter se, et sibi, si utroque modo bonitatem Dei actu consideret, quia illa duo ex parte objecti inter se non repugnant; ergo nec unus actus exclu-

dit alium, quantum est ex parte ipsorum, si potentia valeat simul utrique intendere, et ad utrumque conari. Imo etiam potest homo ex amore charitatis Dei propter ipsum velle sibi beatitudinem, et illam per sua opera procurare, quia, diligendo sibi bonum beatitudinis ut proximum objectum, non excludit relationem ejus in Deum ut ultimum finem, et ideo etiam potest ex amore Dei illum operandi modum sibi imperare.

6. *Pro diruendo fundamento hæreticorum notatio duplicis amoris mercenarii.* — Et per hæc responsum est ad fundamentum contrarii erroris, in quo nomen illud *amor mercenarii* accurate distinguendum est, sicut de timore servili alibi diximus; nam ex generali et quasi primæva significatione, *amor mercenarius* nihil aliud significat nisi amorem laborandi propter mercedem, et hic amor, licet non sit perfectus, nec sit amor amicitiae aut benevolentiae erga alium, sed erga seipsum, nihilominus per se non est malus, si ex circumstantiis non vitietur, alioquin omnis amor sui esset malus. In hac ergo generali significatione non omnis mercenarius in domo Dei reprehenditur, nam Luc. 15 filius prodigus ad se reversus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, quod de bonis mercenariis intellexit Beda, ibi dicens: Mercenarii patris abundant panibus, quia qui future mercedis intuitu digna operari satagunt, quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimoniis;* et Ambrosius, lib. 7 in Luc., circa eadem verba, licet mercenarios absolute dictos in alia significatione reprehendat, nihilominus addit: *Sunt etiam mercenarii qui conducuntur. Bonus mercenarius Petrus, Joannes, Jacobus, quibus dicitur: Venite, faciam vos piscatores hominum;* et infra: *Si nos quoque mercenarios digneris conducere.* Igitur mercenarii nomen generaliter sumptum non est turpitudinis aut vitii nomen, sed, juxta qualitatem mercedis, et modum intendendi illam, vel vitiosum vel honestum esse poterit. Quia vero modus operandi propter mercedem ex genere suo imperfectus est, ideo frequenti usu accommodata est illa vox ad significandum vitium aliquod in modo operandi intuitu mercedis. Unde præcipue appellari solent mercenarii in Ecclesia, qui temporalia lucra in suis actionibus intendunt, et sic dixit Ambrosius supra: *Mercenarii qui sunt, nisi qui ad mercedem serviunt, non id quod bonum est probitatis studio persequentes, nec virtutis gratia, sed utilitatis studio*

provocati? et Gregorius, homilia 14 in Evang.: *Mercenarius vocatur, ait, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit, terrenis commodis inhiat, etc.* Unde D. Thomas in loco allegato sic inquit: *Amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia;* et hunc dicit semper esse malum, utique si in amore temporalium propter se sistat intentio. Hic ergo amor mercenarius alienus est a virtute charitatis. Multoque gravius reprehenditur, quando vel opera ipsa quæ per se pertinent ad virtutem et servitium Dei, vel ministeria spiritualia et ad animarum salutem instituta, vel omnino vel principaliter propter temporalia lucra fiunt vel procurantur, et hos præcipue mercenarios vocavit Christus, Joan. 10, ut Gregorius supra declarat; et videri potest Augustinus, tract. 46 in Joan.; et late Bernardus, in serm. ad Pastores in Synodo congregatos.

7. *Jam ad fundamentum hæreticorum.* — Hac ergo distinctione supposita, facile est ad fundamentum hæreticorum respondere. Cum enim dicitur opus factum intuitu æternæ mercedis procedere ex amore mercenario, si id intelligatur de amore mercenario quasi per antonomasiam sumpto, falsum est quod assumitur, quia tale opus non procedit ex amore mercedis temporalis seu terrenorum bonorum, neque ordinat spiritualia bona ad temporalia commoda, sed spiritualia media ad proprium spirituale finem, juxta illud ad Rom. 6: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Deinde hæc merces talis est, ut non excludat studium operandi virtutem gratia probitatis, ut solet facere turpis amor mercenarius, ut de Ambrosio notavimus. Quin potius talis est illa merces ut non tribuatur nisi virtuti, ut virtus est, et ideo ex se ad talem modum operandi inducit, et ad custodiam mandatorum excitat, animumque a peccatis avertit. Denique hæc ipsa merces non ita intenditur, quin ad Dei gloriam, vel ab ipso operante referatur, vel saltem ex se tendat et ab operante non excludatur. Si vero illa major propositio intelligatur de omni amore et intuitu mercedis, falsa est; et in ejus probationem male allegantur Bernardus et D. Thomas, qui in alio sensu de amore mercenario loquuntur, ut ostendimus. Ratio enim est parvi momenti, quia, licet amor proprii commodi ex se sistat in amante, tanquam in proximo objecto, qui vult bonum tamen, si bonum seu commodum amatum honestum sit, et ut tale

ametur vel intendatur, eo ipso tendit in Deum ut in ultimum finem, et ideo nec charitati repugnat, neque illam excludit, licet possit interdum ab ejus actu formali præscindere, ut explicatum est.

8. *Secundum punctum: an e contra prædictus intuitus requiratur ad meritum? pars affirmans suadetur.* — Secundum punctum erat, an hæc intentio sit necessaria ad meritum. Et ratio dubitandi pro parte affirmante est, quia ad merendum necessaria est spes, juxta illud 1 ad Cor. 9: *Debet in spe, qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi;* sed spes nihil aliud est quam intentio consequendi bonum quod speratur; ergo ad merendum, necessarium est hanc intentionem habere. Præterea Christus Dominus, Matt. 6, sic præcipit: *Primum quærite regnum Dei;* ergo, ad consequendum illud, hæc debet esse prima nostrorum operum intentio; sed operari propter mercedem æternam, nihil aliud est quam quærere regnum Dei, et e converso, non aliter quæritur regnum Dei quam operando propter illius consecutionem; ergo hæc intentio est imprimis ad meritum necessaria. Et hoc etiam esse videtur quod Paulus monet, 1 ad Corint. 6: *Sic currite ut comprehendatis.* Et ex similitudine quam ibi adducit, potest apparens argumentum sumi; nam qui in stadio currunt, necesse est ut primum intendant bravium obtinere; sic autem nos per opera ad vitam æternam tanquam ad bravium tendimus; ergo ad illius meritum necessaria imprimis est intentio illam per opera consequendi.

9. *Assertio certe negativa ostenditur.* — Nihilominus dicendum est hujusmodi intentionem mercedis ab operante elicitam non esse ad meritum necessariam. Assertio est omnino certa, quia hæc intentio non est necessaria ad bonitatem operis proportionatam præmio; ergo non est cur ad meritum requiratur. Consequentia ex dictis facile probari potest, quia non sunt multiplicandæ conditiones meriti, quæ vel revelatæ non sint, vel ad valorem operis non probentur necessariæ. Antecedens vero probatur, primo, quia sine illa intentione possunt haberi, et verus amor Dei, et opera ex charitate facta, imo regulariter hoc modo perfectius fiunt, nec præterea talia opera sua mercede carebunt. Sic enim dixit Bernardus, libr. de Diligend. Deo: *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmio intuitu diligendus sit, utique ut magis pure propter se diligatur.* Item sine tali intentione

potest justus ex auxilio divinæ gratiæ per Christum dato efficere multa bona opera, quibus præcepta divina impleat, ut videtur per se notum, quia talia opera non pendent ex illa intentione, imo potest justus illa facere ex sola intentione implendi voluntatem Dei, quæ est honestissima et sufficientissima; ergo tunc merebitur per alia opera sine intentione mercedis, ac proinde illa non est necessaria. Probatur consequentia verbis Concilii Tridentini, cap. 10, sæpe ponderatis: *Cum Christus JESUS, tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem insuat, etc., nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis operibus, quæ in Deo sunt facta, legi Dei satisfacisse, et vitam æternam vere promeruisse censeantur.* Denique operari virtutem in gratia et ex gratia, non solum esse potest sine intentione mercedis, sed etiam sine illius cognitione, vel saltem cogitatione; ergo et meritum esse potest sine illa cogitatione vel intentione. Consequentia et ex dictis patet, et a contrario declarari potest, quia peccator æternam ignis pœnam meretur, etiamsi, cum peccat, illam ignoret vel de illa non cogitet. Antecedens vero patet, quia fieri potest ut aliquis justus et Christi fidem habens ignoret præmium esse promissum bonis operibus, si non omnino, saltem quoad multa accidentalia præmia, vel quoad veram perfectionem et essentiam ejus, et nihilominus omnia illa merebitur bene operando, multoque facilius accidere potest ut de mercede non cogitet, cum bene operatur, quod non reprehensibile, sed potius laudabile est; ergo non propterea carebit mercede.

10. *Ad primam rationem in num. 8. — Ad secundam rationem.* — Neque obstant priores rationes. Ad primam de spe, dicitur imprimis actum spei esse per se necessarium ad salutem, ut suo tempore habeatur juxta divinam ordinationem, non tamen esse necessarium ad singula opera meritoria, neque ut talia opera a tali actu procedant, vel formaliter, vel virtute relicta ex actu præcedenti, quia in homine justo potest interdum esse actus dilectionis Dei sine præcedenti actu spei, vel quamvis præcesserit, potest omnino præteriri, ita ut nulla virtus ejus maneat, et nihilominus dilectio illa erit meritoria, ut probant omnia adducta. Deinde dicitur, quamvis actus spei suo tempore sit necessarius, nunquam tamen esse necessarium operari, vel ipsam spem, vel aliquid aliud, ex illa intentione consequendi bonum, quod speratur

tanquam merces operis. Spes enim primo et per se habenda est propter excellentiam sui objecti, innitendo divinæ potentiæ et promissioni, et ita haberi potest sine intentione mercedis, formaliter ut merces est, licet non sit sine intentione illius boni, quod in præmium promissum est; respectu vero aliorum operum, quibus justus meretur, est actus spei optima dispositio ex parte personæ operantis, ut facilius et suavius ad operandum inclinetur, non est tamen necesse ut imperet opus meritorium, ut propter mercedem obtinendam fiat, quod magis ad imperfectionem quam ad perfectionem spectat. Secunda ratio sumebatur ex verbis Christi: *Primum quærite regnum Dei.* Sed inde non sequitur primo esse quærendum ex amore concupiscentiæ, aut esse necessarium operari propter illud sub formali ratione mercedis aut præmii, nam potest primo quæri propter gloriam Dei, et ex amore amicitiae ipsius, estque id perfectius et magis augens meritum. Unde quod ibi subsumitur, non aliter quæri regnum Dei quam operando propter illius consecutionem, si intelligatur formaliter sub ratione præmii et mercedis, falsum est; si vero intelligatur de consecutione prout sub aliis rationibus intendi potest, sic nihil inde infertur, quia potest alia intentio perfectior sine mercenaria sufficere. Neque plus probant verba Pauli, aut exemplum ejus de currentibus in stadio ut bravium obtineant, quia, licet intentio victoriæ necessaria sit, tamen sub altiori ratione sufficienter haberi potest.

11. *Tertium punctum: an prædictus intuitus sufficiat ad meritum? — Suadet pars negans.* — Jam vero succedit tertia interrogatio, an hæc intentio possit ad meritum, tam ejus, quam operis quod ex illa fit, sufficere. Pars enim negans videtur plane sequi ex opinione multorum, dicentium nullum esse meritum quod ex charitate Dei actu vel virtute non procedat; sed hæc intentio proxime non procedit a charitate, et consequenter opus, quod ab illa tantum ducit originem, nullam inde habet relationem charitatis; ergo illa sola non est satis ad meritum. Et potest hoc confirmari ex Concilio Tridentino, dicto c. 11, ubi solum approbat operationem quæ fit mercedem intuendo æternam cum hoc addito: *Ut imprimis glorificetur Deus.* Ex quibus verbis aliqui colligunt non tantum nec præcipue amore mercedis operandum esse, sed primum propter gloriam Dei, deinde etiam propter mercedem felicitatis æternæ.

12. *Pars affirmans asseritur et explicatur.* — Nihilominus, juxta principia posita in c. 9 et 10, dicendum est hanc intentionem debito modo conceptam esse sufficientem ex parte operantis ad meritum, tam ipsius intentionis quam operis quod ex illa fit. Dixi, *debito modo conceptam*, quia imprimis agimus de intentione mercedis, quæ et spiritualis sit, et ad bonum animæ pertineat, ac proinde sit etiam supernaturalis, qualis est vita æterna, et gratia, vel sanctificans, vel aliquo modo adjuvans ad supernaturalem beatitudinem consequendam. Deinde ne in modo etiam hujusmodi intentionis seu affectus proprii commodi sit nimietas et inordinatio, id est, ut non plus amet homo gloriam suam quam Dei; nam hoc esset magis se amare quam Deum, quod semper inordinatum est et charitati Dei contrarium. Nunquam tamen in amore veræ beatitudinis propriæ potest hic excessus intervenire aut agnosci, nisi homo formali affectu, aut in actu signato (ut sic dicam) hujusmodi comparisonem faciat, quæ esset inordinatissima. Nam alias, cessante illa veluti reflexione, amor beatitudinis ut commodi proprii, vel desiderium æternæ mercedis, quantumvis sit intensus et fervens, de se non potest amori Dei super omnia opponi, neque observationi præceptorum ejus, cum hæc ad consequendam illam mercedem maxime necessaria sit. Solum video posse fingi casum, in quo aliquis ex nimio amore augendi mercedem illam incumbat actibus qui sibi meliores videntur, quamvis præcepti non sint, et omitat illos qui ex præcepto sunt necessarii, quia minus perfecti ipsi videntur. Sed hic casus fingi magis potest quam moraliter evenire, nam involvit apertam contradictionem efficaciter intendere æternam beatitudinem, voluntarie omitendo observationem præceptorum, vel per opus quod sit hujus omissionis causa; unde necesse est ut vel intercedat ignorantia invincibilis præcepti, et tunc omissio non est nisi materialis, quæ nihil impedit; vel si talis ignorantia non intervenit, impossibile est habere illam intentionem puram, et supernaturalem, et ex motivo vere honesto, qualis esse debet intentio de qua loquimur.

13. *Jam probatur.* — Assertio ergo sic declarata probatur, quia potest justus habere dictam intentionem, et ex illa bene operari antequam habeat actum aliquem charitatis Dei super omnia dilecti; sed tunc nihilominus merebitur tam per affectum ipsum ad beatitudinem, quam per opera ex illo facta

propter beatitudinem, ut mercedem; ergo illa intentio potest interdum ad meritum sufficere. Consequentia est clara. Major etiam per se videtur evidens, ut supra tactum est, quia justificatus per Sacramentum, vel in infantia sine actu, vel in ætate adulta cum sola attritione, priusquam diligat Deum propter se, et priusquam tempus occurrat pro quo ad illam dilectionem teneatur, potest Deum sibi diligere, vel suam beatitudinem appetere, ac sua opera et tanquam illorum mercedem eam procurare. Nam, cum ille modus operandi per se non pendeat ex priori actu charitatis, potest homo pro sua libertate ab illo inchoare. Hoc ergo posito, probatur minor ex principiis positiss, nam ille amor Dei, etiamsi sit concupiscentiæ, bonus et supernaturalis est, ut supra, l. 2, c. 13, dixi, et a posteriori ibi hoc probavi, ex eo quod talis actus est meritorius, et ad hoc etiam ostendendum aliqua adduxi. Nunc autem a priori ex eo quod ille actus ex vi sui objecti bonus et supernaturalis est, inferimus esse meritorium, quia jam probatum est in homine justo nullam aliam conditionem requiri ad meritum ex parte actus liberi. Atque eodem modo probamus intentionem consequendi beatitudinem sic amatam, et ut stipendium bonorum operum, esse similiter meritoriam, quia etiam est actus bonus et supernaturalis, cum sit de objecto honesto et supernaturali, et ad virtutem spei per se pertineat.

14. *Concluditur intentum.* — *Ad rationem contrariam in num. 11.* — Atque hinc tandem concludimus illam intentionem esse sufficientem, ut opus bonum ex illa factum meritorium sit, quia illa sufficit ut illud opus vel supernaturale sit, vel supernaturali modo et per auxilium gratiæ fiat, quod ad meritum satis esse jam etiam ostensum est. Neque contra hoc obstat ratio dubitandi proposita, quia licet nulla præcesserit relatio charitatis facta per specialem actum operantis, nihilominus actus ipse est de se conformis charitati, et illi deserviens, ac de se tendens in gloriam Dei, ac proinde virtute includens relationem charitatis, quod satis est ad meritum, quamvis non sit summe perfectum. Et ita ad Concilium Tridentinum, dicere imprimis possumus, posuisse id quod melius et perfectius est, vel docuisse quod certum et extra controversiam inter Catholicos esse debet; non tamen propterea totum illud esse necessarium definivisse. Denique dici potest, eo ipso quod justus, operando debito et honesto

modo, mercedem intuetur æternam, imprimis etiam intendere, saltem virtualiter, ut glorificetur Deus, quia totum illud in gloriam Dei cedit, et in illum tanquam in ultimum finem ordinatur.

CAPUT XIII.

UTRUM MODUS OPERANDI EX METU ET NECESSITATE VITANDI ALIQUOD DAMNUM AD MERITUM SUFFICIAT, VEL ILLUD EXCLUDAT?

1. *Arguitur non sufficere ex defectu bonitatis in tali modo operandi.* — Quæstionem hanc superius attigi, et in hunc locum remisi, ut simul omnia quæ in ea dubitationem facere possunt, et quæ ad completam explicationem libertatis et bonitatis actus meritorii necessaria videntur, simul tractarem. Ex illo enim duplici capite ratio dubitandi in præsentem oriri potest. Nam imprimis in tali modo operandi non videtur esse bonitas ad meritum sufficiens, nam qui sic operatur, per se non intendit facere bonum, sed vitare malum, quia propter quod unumquodque tale et illud magis; sed qui sic operatur, solum id facit ut evitet malum; ergo hoc est quod maxime vult; ergo per se non vult bonum; ergo nec operatur bonum eo modo quo ad meritum necessarium est. Confirmatur et explicatur, nam qui sic operatur, ita est affectus ut, si necessitas vitandi malum non cogeret, bonum non faceret; cum enim adæquata causa tunc operandi sit necessitas vitandi malum, ut supponitur, recte colligimus, cessante tali causa, cessaturum effectum; ergo in illo modo operandi virtute includitur dicta conditionalis; ergo tale obsequium non videtur dignum præmio, neque habere bonitatem, quæ apud Deum inspectorem cordis ad illud sufficiat. Et hinc facile probatur altera pars de libertate, quia, licet libertas intercedat, est tamen valde imperfecta, et quæ plus habet necessitatis; ergo non est satis ut Deus tale opus in meritum acceptet, quia neque est propter illum factum. neque coacta obsequia illi sunt placita. Et utrumque videtur confirmari verbis illis Pauli, 2 ad Corinth. 9: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus;* et sententia illa Augustini apud Prosper., Sentent. 178: *Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.*

2. *Si de metu culpæ agatur, sufficit ad me-*

ritum, quia et bonitatem habet. — Ut quæstioni respondeamus, oportet distinguere de quo timore sermo sit. Est enim duplex malum, culpæ, scilicet, et pænæ; hic autem non potest esse sermo de priori, nam timor culpæ filialis est et optimus, et nascitur ex amore Dei, cuius offensio est culpa. Quod si non sub ea ratione consideretur culpa, qua est Dei offensa, sed quatenus habet moralem malitiam, quamvis timor illius non sit ita perfectus sicut prior, est nihilominus moraliter bonus simpliciter, et ex amore honestatis et illius virtutis nascitur cui tale malum opponitur. Unde dubium non est quin in opere quod fit ex timore talis mali, et ad vitandum illud, sit sufficiens bonitas ad meritum, eo modo quo in aliis operibus virtutum esse potest. Quia, licet vitare malum, ut sic, non sit agere bonum, tamen velle vitare hoc malum est facere aliquod bonum ex ea parte sufficiens ad meritum, ut supra, c. 10, dictum est. Neque ex vi talis metus potest actui deesse sufficiens libertas, quia metus ipse omnino liber est, sicut est amor honesti illi malo contrarii. Unde, licet contingat aliquem ita coactum necessitate præcepti aliquid velle vel nolle agere, solum quia non potest aliter vitare culpam, et simul habens illam conditionatam voluntatem, quod, si præceptum non interveniret, oppositum ageret (quod saltem in præceptis positivis sine peccato fieri potest), hoc totum nihil obstaret, quominus in tali actu esset sufficiens voluntas et libertas ad meritum, quia semper ibi intervenit voluntas absoluta servandi præceptum, et vitandi malum contrarium, quæ simpliciter et omnino libera est, et in illa fundatur totum subsequens meritum, quod est in tali modo operandi.

3. *Item timor pænæ, quæ sit nocumentum boni supernaturalis, sufficit ad meritum ex omni parte.* — Rursus malum pænæ duplex etiam est, scilicet, æternæ et temporalis, et sub æterna includere possumus omnem spiritualem pœnam, quæ aliquo modo minuit auxiliantem Dei gratiam, et de se redundare potest in aliquod nocumentum in bonis æternis, quatenus potest esse aliquo modo occasio homini, vel amittendi gloriam æternam, vel minorem consequendi. Et de timore hujus pænæ, seu de opere facto propter vitandam talem pœnam, nullam movemus quæstionem, nam supponimus de fide certum timorem hujus pænæ esse bonum et supernaturalem, et ex divina inspiratione procedentem, ut Concilium Tridentinum tra-

dit, sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 4, et in præcedentibus, præsertim lib. 2 et 8, sæpe diximus, et latius in tom. 4 de Pœnitent., disput. 5, sect. 2. Ex quo principio aperte sequitur, bonum esse opus quod ex tali timore fit, etiamsi tale opus ad vitandum tale malum tanquam in finem proximum ordinetur, quia ille finis bonus et supernaturalis ordinis est, et ad illum deservire non potest nisi opus bonum, vel, quod perinde est, fuga voluntaria alicujus moralis mali. In hoc ergo opere et voluntate sine dubio est bonitas de se ad meritum sufficiens. Neque etiam de sufficiente libertate dubitari potest, quia ibi nulla intervenit necessitas, nisi quam sibi ipsi infert libera voluntas, ita diligendo vitam æternam, vel spiritualia bona, ut efficaciter timeat contraria mala, et inde ad aliquod bonum operandum excitetur, quæ non est necessitas, sed plena, et ut ita rem explicem, constans et efficax libertas. De hoc ergo modo operandi eadem est ratio quæ de alio in præcedenti capite tractato, et ita dicta de illo possunt ad præsentem applicari.

4. *Pro relatione de timore pænæ temporalis notatio multiplicis timoris.* — Solum ergo de timore pænæ temporalis superest quæstio. Hic autem timor duplex distingui solet: unus immissus a Deo, et alius ab hominibus. Sub priori membro includitur omnis timor temporalis mali, qui a causis naturalibus provenit, quia non est ab hominibus immissus, nec sine Dei providentia venit, ut est timor mortis in infirmitate, vel naufragii in tempestate, et similibus. Timor autem humanus interdum directe incuti potest ad cogendum hominem ut tale opus faciat, verbi gratia, quod det eleemosynam, vel tale votum faciat, vel quid simile. Aliquando vero non ea de causa timor immittitur, sed alia interdum justa, interdum injusta, et ille, qui timorem patitur, ad bonum opus faciendum inde inducitur, ut, cum quis timens, ne ab inimico occidatur, Deum orat, vel eleemosynam facit, etc.

5. *Assertio prima: operari bene ex timore pænæ temporalis a Deo immissio, non obstat merito.* — Primo ergo dicendum est, quando quis operatur bonum ex timore temporalis mali a Deo immissio, illum timorem, quantum est de se, non impedire meritum operis, si alioqui debitis circumstantiis fiat, prout fieri potest, non obstante timore. Hoc certissimum est, potestque imprimis usu et exemplis ostendi. Nam qui infirmitate oppres-

sus ex timore mortis eleemosynas facit ut vitam impetret, non propterea eleemosynarum meritum amittit. Idem est de eo qui in naufragio votum facit, ut evadat periculum, nam illud votum nihilominus meritum est. Idemque est in omnibus similibus casibus juxta communem sensum Ecclesiæ et fidelium. Ratio autem est, quia in illo opere non deest sufficiens libertas, nam timor ille, licet excitet et inducat, non tamen necessitatem infert, quæ absolutam libertatem impediatur, licet aliquantum illam minuatur. Et patet facile, quia votum sic factum validum est, tenetque donatio, et transfert dominium eleemosynæ sic facta, quæ tamen valere non solent sine consensu libero. Idem patet a contrario, quia opus malum factum ex simili metu peccatum est etiam mortale, si materia sit capax. Ratio denique clara est, quia potest homo, si velit, non uti illo medio ad evadendum periculum mali, sed alio vel nullo pro sua libertate.

6. *Quantum ad bonitatem ostendi videtur in eo casu deficere.* — Probatur tamen dari etiam bonitatem. — Magis potest dubitari de bonitate actus sic facti, nam hoc tempore malum quid indifferens est; ergo intentio vitandi illud de se non est bona; ergo neque opus ex illa factum videtur habere bonitatem aptam ad meritum, quia hæc esse debet bonitas honesta; hæc autem neque ex fine indifferente accipi, neque ad illum recte ordinari potest. Nihilominus dicendum est hoc non obstare, quominus tale opus bonitatem habeat merito non improportionatam. Nam imprimis fieri potest ut timor ille non constituat finem operi, sed tantum sit occasio ad illud faciendum excitans, sicut de pœnitentia diximus in tom. 4, loco citato, et tunc si opus sit bonum ex objecto, potest ex proprio motivo honesto fieri, et ad Dei gloriam vel ad animæ salutem aliquo modo ordinari, non obstante timore, qualiscumque ille sit, quia non est circumstantia operis, sed occasio extrinseca et accidentaria. Deinde, licet evitare malum quod timetur sit finis proximus, propter quem fit tale opus, nihilominus potest illa intentio esse honesta, et bonum opus in illum finem prudenter referri, quia, licet malum illud temporale sit, potest bonum illi contrarium honeste appeti, vel quia per se est consentaneum naturæ rationali, ut est vita, vel sanitas, vel alia similia bona, quæ cum de-